



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 47. Epistolæ Pastorales Santonensis & Massiliensis Episcoporum contra
Noaillii Cardinalis articulos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. XLVII.

*Epistolæ Pastorales Santonensis &
Massiliensis Episcoporum contra
Noaillii Cardinalis ar-
ticulos.*

Interim Jesuitæ in Italia omnes inten-
debant nervos, ut summum Ponti-
ficem absterrent, ne Noaillii Cardi-
nalis articulos approbaret. Hanc in
rem scriptum italo sermone ediderunt,
cui titulus: *Reflexiones in petitionem Ex-
plicationum ab Appellantibus factam.* Fun-
damentum & robur hujus lucubratio-
nis innitebatur hisce assertis: *Consti-
tutio Unigenitus est Regula fidei, parem
habet vim, ac Concilium, & Dei Ver-
bum, ergo, prout jacet, recipienda est sine
explicationibus.* Majori rationum pon-
dere eosdem articulos impugnabant
Santonensis & Massiliensis Episcopi,
quorum prior die 26. Nov. anni prio-
ris, alter vero hoc anno die 14. Jan.
Parisiis Epistolas Pastorales, quas Galli
mandata vocant, divulgant. Cum
enim Appellantes in vulgus falso spar-
gerent, quod Pontifex se duodecim
Noaillii articulos approbaturum spo-
pondisset, Bellomontius Santonensis
Episcopus Nuntium Apostolicum roga-
bat, ut datis Romam literis, quid rei
subsit,

sublit, certo explorare vellet; detecta autem rumoris falsitate Episcopus hos articulos ad sanæ doctrinæ trutinam ponderare, illos censuris configere, eorumque lectionem gregi suo interdiceret statuit: Igitur ex pluribus, quæ Noaillius contra Constitutionem ediderat, scriptis ambo Episcopi comprobatum reddebant, ex his articulis quosdam esse *æquivocos, captiosos, artificiosos, falsos, & perversi sensus capaces*, in pluribus aliis vero *tradi errores manifestos*, ex aliis deduci *necessario sequelas periculosas non minus ac noxias*, potissimos vero esse *communi Theologorum sententiæ, Scholarumque Catholicarum libertati contrarios*. Hanc suam Epistolam Santonensis Romam ad summum Pontificem transmisit, tanto applausu exceptam, ut Cardinalis Pauluccius die 26. Decembr. Nuntio Apostolico rescriberet, hunc Episcopum optime fecisse, quod sua Instructione artificiosam Refractariorum calumniam palam confutarit, ac mendacii, falsitatisque redarguerit; hunc ejus laborem a summo Pontifice ratum, gratumque fuisse habitum, ceu novum specimen pietatis ac Zeli, quo hic Præsul flagraret: Horum exemplo animati plures Franciæ Præsules pariter ejusmodi epistolis encyclicis Noaillii
arti-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. articulos proscribere parabant, quo ta-
 A. C. 1726. men comperto Borbonius Dux Rotho-
 magensi Archiepiscopo injunxit, ut
 Bissyum Cardinalem rogaret, quate-
 nus hisce Episcopis præciperet, ut suas
 Epistolas supprimerent, ne incendio
 oleum affunderetur. Attamen hic Car-
 dinalis illorum Zelum adeo non dam-
 nabat, ut potius illos potenter pro-
 tegeret.

§. XLVIII.

*Libellus supplex quorundam Pari-
 sine Diœcesis Parochorum ad
 Noaillium Cardinalem.*

Postquam utriusque hujus Episcopi
 epistolæ Parisiis publice divulga-
 bantur, nonnulli Parisiensis Urbis ac
 suburbiorum Parochi numero circiter
 viginti tres die quarta Maij Noaillio
 Cardinali libellum supplicem typis im-
 pressum porrexere. „ In eo Cardina-
 „lem pristinae suæ constantiæ memo-
 „rem esse jubebant, rogabantque, ne
 „aliorum sollicitationibus cederet, Mi-
 „nisterii nostri debitum, inquiebant, fidei
 „Catholicæ periculum, & inviolata, qui-
 „bus Eminentie vestræ arctissime jungimur,
 „sacrata vincula prohibent, ne ad Santo-
 „nensis Episcopi mandatum sileamus. „
 Postea extractis, quas vehementiores
 puta-